Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

ADMIXTIONE PROFANÆ CAUSÆ IN DISPOSITIONE SUPREMA AD PIAS CAUSAS.

Quam

Authoritate Illustris JCtorum Ordinis in Perantiqua Eberhardina,

PRÆSIDE

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO atque EXCELLENTISSIMO,

DN. WOLFFGANGO ADAMO SCHÖPFFIO,

U. J. D. SERENISSIMÆ DOMUS WURTEMB. CONSILIARIO ET PROFESSORE PUBL. ORD. LONGE CELEBERRIMO,

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure capessendi honores Eruditorum disquisitioni publicæ submittit

CASP. BARTHOLOMÆUS SECONDA, *Ravenspurgensis.*

TUBINGÆ,

Die Septembris A. MDCCXLIII.

Typis JO. DAVIDIS BAUHOFII ac Viduæ PFLICKII.

§. 1.

MEditanti de themate Inaugurali, quod ex juribus teſtamentorum deſumtum eſſet, varia ſeſe obtulerunt; Inter illa materia de admixtione non piæ ſ. profanæ cauſæ in diſpoſitione ultima ad pias cauſas haud diſplicuit, ſelegi igitur illud, ceu diſcuſſione haud indignum. Etenim hæc materia de admixtione extraneorum inter pias cauſas non caret magnis difficultatibus, ac expreſſa Juris communis diſpoſitione deſtituitur, ita ut DDres magis ex analogia Juris ac per argumenta illam ſuffulcire & ſtabilire magno annitantur conatu, & paſſim ad communem Doctorum opinionem, uſumque forenſem provocare haud deſinant, denique vero Jura Provincialia in ſubſidium & auxilium trahere haud negligant. Siſtimus igitur, miſſis generalibus, ſtatim deſcriptionem, quod nimirum noſtra admixtio in diſpoſitione ad pias cauſas nihil aliud ſit, quam declaratio ſupremæ voluntatis, qua teſtator, quid poſt mortem ſuam ad pias cauſas

 fieri

fieri velit, omissis solennitatibus, ordinat, simulque etiam aliis non piis seu profanis causis, titulo & modo in legibus præscripto, aliquid relinquit. Quoad divisiones notandum, quod in publico & privato testamento, ac æque per nuncupationem ac scripturam pia causa hæres institui & substitui, hincque etiam admixtio oralis vel scripta ita fieri queat, id quod jura generalia confirmant. Neque negari potest, quod in codicillis ad pias causas, extranea legata relinqui possint.

§. 2.

Ex quo autem Jure hoc jus admixtionis derivandum & eruendum sit, obscurum & admodum controversum est. De Jure Civili Romano, quod dispositiones ad pias causas minime privilegiariæ sint, sed legitimum potius numerum testium omnesque reliquas ordinarias desiderent solennitates, docet *L. 13. C. de SS. Eccles.* hisce verbis: *quod tamen omni alia ratione juris munitum sit:* & subscribit communis DDrum schola PETRUS GILKEN *ad L. 1. num. 4. C. de SS. Eccles.* STRYK *C. T. cap. 12. §. 1.* Bb. Dn. Antecess. D. HARPPRECHT *in Tract. Acad. XI. de admixt. extran. pers. in testament. parent. inter liberos th. 28.* & D. GRASS *in Disp. de legat. ad pias causas invaliditate ex defectu duorum testium th. 1. & 2.* D. JOH. CASP. HEIMBURG *Disp. Jen. de his, quæ in ult. vol. per scripturam privatam declarata piis causis relinquuntur §. 8. cum seqq.* cum igitur dispositio principalis ad pias causas jure communi romano privilegio careat, multò magis de admixtione & accessoria dispositione, quoad profana legata, idem statuendum, cum solennitates testamentariæ nullibi relaxatæ, hincque deficiente privilegio ordinarius testium numerus exigendus erit. Aliud è contra de Jure Canonico

nico, quoad diſpoſitiones ad pias cauſas, in terris quoque Imperii, recepto dicendum, per firmata, Dn. D. HARPPRECHTI *in cit. Diſp. §. 28. n. 5. & Conſil. 3. n. 32.* D. D. GRASS *alleg. Diſp. th. 6.* ubi remiſſis ſolennitatibus nonniſi duo vel tres teſtes ad ſubſiſtentiam teſtamenti ad pias cauſas exiguntur, *c. 11. x. de teſtam.* COVARRUV. *t. 1. c. 11. n. 2. de teſtam.* ANDR. TIRAQUELL *de privileg. piarum cauſ. priv. 1. & 2.* LAYMANN *in Theol. mor. lib. 2. t. 5. c. 2. n. 11.* MOLINA *de J. & J. tr. 2. Diſp. 134.* ENGEL *in Jure Canon. lib. 3. t. 26. n. 19.* FLEISCHER *in der Einleitung zum Geiſtlichen Recht. lib. 2. c. 23. §. 5. ſeqq.* Cum autem nullibi nec in Jure Civili nec in Jure Canonico expreſſa mentio injiciatur, quod in tali privilegiario teſtamento ad pias cauſas etiam profanis & non piis cauſis ſeu extraneis perſonis acceſſorie quid relinqui valeat, & quænam ſolennitates obſervandæ, & quot teſtes neceſſarii, ut talis admixtio ſimul ſubſiſtere & valere queat, magnus inde diſſenſus DDrum exortus &, ob varias allatas rationes, plures opiniones, uti fieri adſolet, enatæ.

§. 3.

Plurimi ſane Interpretes hanc admixtionem profanæ ſeu non piæ cauſæ in teſtamento ad pias cauſas ſi non Jure Civili, ad minimum Jure Canonico validam & juri convenientem reputant, ex eo, quod 1.) ſubſiſtente principali & inſtitutione hæredis, quæ baſis & caput cujuslibet teſtamenti, etiam illud quod tantum acceſſorium eſt, ſubſiſtere illudque quoad minorem quoque partem bonorum & legata valere debeat; eoque magis cum 2.) abſonum ſit dicere, teſtamentum pro parte valere, pro parte verò non valere *L. 7. de R. I.* Et inſuper 3.) contrarium

rium nullibi cautum occurrat, neque hæc admixtio speciatim in legibus reprobata reperiatur, imo 4.) *in c. 11. x. de testam.* dispositiones ad pias causas simpliciter, absolute & absque exceptione profanorum legatorum confirmatæ, adeoque principali generaliter subsistente; neque legata profana accessoria rejicienda & pro nullis habenda, cum 5.) insuper omne testamentum coram parocho & duobus vel tribus testibus confectum valeat de Jure Canonico *c. 10. x. de testam.* addunt 6.) quod ea, quæ in favorem liberorum disposita sunt, *in Nov 107.* etiam obtineant in piis causis, imo major vel saltem æque magnus favor piarum causarum quam liberorum sit, neque 7) rarum, quod actus invalidus propter personam privilegiatam sustineatur ita, ut etiam personæ non privilegiatæ prosit ac vi unionis quis aliquid consequatur, quod alioquin non consequeretur HIERON. PANTSCHMANN *lib. 2. q. 8. n. 27. & 28.* insuper 8.) omnis interpretatio circa testamenta ita in dubio facienda, ut valeat potius quam pereat *L. 28. C. de Episc. & Cleric.* TIRAQUELL *de privileg. piar. caus. privileg. 12.* Denique 9.) varia argumenta cumulat & ita ratiocinatur Joh. Baptista Cardinalis de LUCA *in theatr. Justit. & veritat. disc. 12. n. 4. Disc. 19. n. 12. & observat. 74. de testam,* quod, si legata ad non pias causas in tali testamento privilegiario ad pias causas invalida fierent, sicque accrescerent piæ causæ pro herede institutæ, ratio sane postularet, ut quæ solennitates in commodum hæredis & piæ causæ sufficerent, ita ut validum sit testamentum, sufficiant quoque, ut valida sint legata in eo relicta, sicque ut onus illi incumberet propterea quoque legata præstandi. Quod si autem pia causa hoc recusaret, asperitatem utique & irrationabilitatem id redoleret, contrariam veritati

ritati

ritati & æquitati, quam Ecclesia & pia causa servare profitetur & debet, aliosque monet, ut servent: neque Ecclesiam attendere, pergit, & curare juris positivi solennitates & formulas sed attendere potius veritatem naturalem & ligari magis obligatione servandi justitiam & æquitatem, quam seculares, quibus in earum cultu exemplar esse debet. Hinc proinde ait: videri naturalibus ac divinis principiis nimium repugnare, ut ultimam voluntatem, quam ipsa Ecclesia vel pia causa pro se veram, perfectam & validam atque sinceram ac à fraudis & machinationis suspicione alienam reputat, tamen in aliorum & legatariorum exclusionem dicere debeat suspectam, invalidam & imperfectam & ita veritatem dividere, id quod sane esset allegare contradictoria atque locupletari cùm alienà jactura, invito domino, ideo potius voluntatem disponentis in omnibus servare debere ex naturali & æquitatis regula, quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur. Quam opinionem 10.) communem & in praxi receptam unanimiter adstruunt. ANDREAS TIRAQUELL *de privileg. piarum causarum c. 80.* LAYMANN *Theol. mor. lib. 3. t. 5. cap. 2. n. 10. ubi ita loquitur :* Ratio est, quia subsistente principali, convenit etiam subsistere accessorium. Et cum alioquin legata si irrita forent, causæ piæ tanquam hæredi accrescerent, æquitas non permittit, ut idem testamentum, cujus jure & valore se pia causa defendit, in ejusdem fovorem oppugnetur & infirmetur, contra illud Prætoris Edictum: quod quisque juris in alterum statuerit ut ipse eodem jure utatur MOLINA *de J. J. t. 2. Disp. 134.* ENGEL *in Colleg. univers. Jur. Canon. lib. 3. t. 26. §. 19.* Cardinal. de LUCA *d. l.* ubi dicit hanc opinionem veriorem, magis communem & receptiorem, JASON *ad*

L. 21.

L.21. §.1. n.10. C. de testam. ubi scribit communem esse & se neminem ab hac sententia discrepantem reperisse LAUTERBACH *§. 51. de testam. milit.* SCHILTER *Exerc. 38. §. 121.* LUDWEL *de ultim. volunt p. 347. & 353.* ubi iterum communem appellat sententiam STRYK *C. T. c. 12. §. 8.*

§. 4.

Quicquid hujus sit. Alii DDres è contra talem admixtionem non piarum seu profanarum causarum simpliciter rejiciunt, illamque Juribus Civili & Canonico minime convenientem sed potius contrariam adstruunt. Utuntur 1.) hâc ratione, quod hæc admixtio profanæ causæ in dispositione ad pias causas neque in Jure Civili, neque in Jure Canonico expresse approbata sit, ita ut deficientibus & silentibus textibus & juribus, juri communi inhærendum & legitimus numerus testium exigendus sit, cum erubescendum sit, sine lege loqui & navigare: addunt 2.) quod nec in testamento inter liberos condito legata extraneis relicta valeant, sed in *L. f. C. fam. hercisc. L. 21. §. 1. C. de testam.* expresse decisum extet, quod, si in testamento minus solenni patris inter liberos persona extranea admixta sit, testamentum tamen quoad hanc admixtionem non subsistat, ita ut dehinc simile judicium de testamentis ad pias causas ferendum sit, cum argumentum à testamento paterno inter liberos ad tale testamentum ad pias causas multi admittant TIRAQUELL *de privileg. piarum caus. privileg. 4.* Et quamvis 3.) Jure Novellarum admixtio personæ extraneæ in testamento paterno inter liberos suo modo admissa sit *Nov. 107. c. 1. auth. quæ sine C. de testam.* tamen ea, quæ de legatis in testamento parentum inter liberos

extra-

extraneis personis relictis singulariter disposita occurrunt, sine textu in consequentiam temere trahi nequeunt, neque argumentum à dispositione parentum ad testamenta ad pias causas, ceu à simili desumtum, in materia privilegiaria, ita facile nectere licet LUDWEL *de ult. volunt. pag. 346.* FABER *Dec. 35. error. 3.* Cumprimis 4.) ob intercedentem diversitatis rationem, cum in paterno testamento expressa existat permissio LLatoris & admixtio certa lege habeatur rata; ast adjectio profanæ causæ in dispositione ad pias causas facta nullibi expresse approbata, & insuper majorem favorem liberorum esse contendunt, qui alias omnino ab intestato successuri sunt, quam piæ causæ LUDWEL *pag. 349.* PANTSCHMANN *lib. 2. q. 3. n. 14. & q. 8. n. 4.* 5.) pergunt, ex *c. 11. x. de testam.* satis patere, quod Pontifex unice in piarum causarum favorem hanc sanctionem privilegiariam & singularem condiderit; adeo ut nulla suppetat ratio, ex qua firmiter concludi queat, eum etiam voluisse, ut iis, quæ in dispositione ad pias causas ad extraneos collata, idem valor tribuendus sit & quare ultra piam causam illa extendenda, sed potius concludendum, talem dispositionem ad pias causas cum exclusione extraneorum saltem valere, maxime cum 6.) diversa quoque ratio hic adsit, nam piæ causæ privilegio concesso subnituntur, legata vero profana tale pro se allegare nequeunt, sed manent sub regula & ob omissas solennitates corruunt, neque 7.) tacendum, quod aliàs facile fraus legi fieri, & id, quod ad pias causas favorabiliter constitutum, contra mentem constituentium ad extraneos & profanam causam porrigi queat; neque etiam 8.) illud axioma de principali & accessorio huc applicari posse prætendunt, cum hoc modo sententia fingeretur, quam placitum

Pontificis non habet, sed ob evidentem diversitatis rationem, illud cessare; nam favor ille, qui pro pia causa, ceu principali, singulariter militat, haud quaquam obtinet in accessorio & extraneis, quare itaque subsistant legata extraneis in tali testamento non solenni relicta? HIERON. PANTSHMANN *Lib. 2. q. 8. n. 22.* Similiter 9.) timor ille, ne quis pro parte intestatus decedat, ex eo inutilis & supervacuus est, quia tale legatum extraneo relictum piæ causæ accrescit, ita ut status intestati plane cesset, neque talis pro parte intestatus decedat PANTSCHMANN *d. q. 8. n. 23. seqq.* 10.) Non deficere asserunt reprobationem hujus admixtionis, sed eo ipso exinde apparere, quia nullibi approbata & jura communia ordinarium numerum testium, quoad extraneos, exigant. Uti quoque 11.) *cap. 11. x. de testam.* ne verbulum quidem de extraneis personis & legatis profanis habeat, ita ut in solum favorem piarum causarum disposita, ob diver tatem rationis notoriam, ad plane diversum casum extraneorum extendi nequeant. cum Interpretum potestatem multum excedat, si quis hanc singularem & exorbitantem dispositionem ad pias causas, ad personas extraneas & causam non piam extendere velit. Quid ve ò 12.) *ad c. 4. & 10 x. de testam.* respondendum late legi potest in binis *Dispp. Argent.* STEINII & *Altorff.* KRIEGERI *de testam. coram Parocho & duobus testibus condito* neque quæ ibidem de testamento in genere statuta ad terras imperii extendi queunt, sed in Imperio Germ. Jus Civile in Recessu Imper. |*de A. 1512. von Notarien. tit. von Testamenten* confirmatum observandum est. D. D. HARPPRECHT *Resp. 59. n. 20. seqq. & Consil. Nov. 44. n. 643. seqq.* D. BOEHMER *in Jur. Eccles. §. 4. seqq. de testam.* GONZALEZ TELLEZ *ad cap. 11. n. 14. de testam.*

Neque

Neque 13.) argumentum à teſtamento paterno hic pro firmo agnoſci poteſt, prout ulterius tradit LUDWEL *de ultim. voluntat. pag. 347. & 349. & 354.* Uti porro 14.) in individuis & inſeparabilibus interdum quis ex alterius perſona quid conſequi poteſt, aliud vero dicendum in dividuis & ſeparabilibus; ubi diviſio absque contradictione locum habet. Nam legata bene ſeparari poſſunt ab hæredis inſtitutione, utpote quæ valida manere poteſt, legata autem inutiliter relicta piis cauſis inſtitutis accreſcunt PANTSCHMANN *n. 27. lib. 2. q. 8.* Inſuper 15.) tunc demum pro validitate teſtamenti judicandum, ſi dubium ſit, an valeat nec ne? ubi autem nullitatis certitudo adeſt, illud annullandum eſt. Neque 16.) regula, *quod quisque juris &c.* heic quid patrocinari poteſt, cum pia cauſa jure canonico nitatur, & jure accreſcendi propitio jure utatur, quoad profanam cauſam & extraneam perſonam autem jura ſilent, adeo ut qui jure ſuo utitur alteri non faciat injuriam, neque ab altero, cui nullum jus competit, locupletior factus dici poteſt. Hanc denique 17.) ſententiam defendunt JUL. CLARUS *in §. Teſtam. q. 6. n. f.* VASQ. *Lib. 3. de ſucceſſ. creatur. §. 22. n. 11.* HIERON. PANTSCHMANN *Lib. 3. q. 8.* ubi operoſe evicit, falſum eſſe, quod in teſtamento, ubi pia cauſa hæres inſtituta, legata Laicis relicta ſubſiſtant, & rationibus, quæ pro confirmando hoc aſſerto allegantur, nihil ſucci in eſſe refert B. D. D. HARPPRECHT *cit. Diſp. th. 20.* D. GODOFR. LEONHARD. JOECHER *Diſp. Lipſ. de teſtam. ad pias cauſas ſine teſtibus valido ad explicat. c. 11. x. de teſtam. §. 22.* D. JOH. CASP. HEIMBURG *in Diſp. Jen. de his, quæ in ult. volunt. per ſcripturam privatam declaratam piis cauſis relinquuntur §. 53.*

§. 5.

Adductis rationibus pro utraque sententia pugnantibus, haud dubitamus, nostrum judicium eo tendens brevibus subjicere, quod hæc admixtio extraneæ personæ & causæ profanæ in dispositione ad pias causas facta neque in Jure Romano neque Canonico fundata sit, sed ex communi DDrum opinione, tam apud Catholicos quam Evangelicos introducta ac recepta, & usu forensi non saltem confirmata, sed & in plurimis statutis approbata. Quod enim ex Jure civili Romano ad decisionem hujus controversiæ vix quid solidi desumi queat, exinde apparet, quod dispositio ad pias causas Jure civili haud sit privilegiaria, sed legitimum numerum testium ac ordinarias solennitates desideret, quod si autem pia causa in testamento vel codicillo ad pias causas coram 7. vel 5. testibus solenniter condito, hæres instituta vel legata illi relicta, & personæ extraneæ vel causæ profanæ simul legata relicta, vel illæ plane cohæredes institutæ, ex jure communi hæc admixtio legitimo numero testium vallata absque dubio valet, neque ad singulare privilegium, quod hic deest, recurri potest, observante D. HEIMBURGO *cit. Disp. §. 53.* Quod si autem privilegiariam hanc dispositionem ad pias causas de Jure Canonico consideremus, tunc *c. 11. x. de testam.* de extraneis personis & causis non piis plane silet ac altum silentium de iis ibidem est. Jam autem Jura quam notissima sunt; quod privilegia neque ex rationis identitate & majoritate, neque ex jure correlatorum ullam admittant extensionem, cum in sola legislatoris voluntate quiescant *§. 6. J. de J. N. G. & C. L. 14. de Legibus* & deficiente voluntate legislatoris, deficere quoque debet

bet

beat privilegium, absque ulla extenſione, & ceſſante omni interpretatione comprehenſiva, STRYK *in uſu moder.* & LAUTERBACH *in Colleg. theor. pract. §. 4. 16. & 55. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. tacite contrah.* & *Diſp. de tacito pignore th. 8. & 17.* D. D. HARPPRECHT *in Scrutinio 18. hypoth. vel indubiè ſpur. vel ſumme dub. §. 5.* proinde neque à teſtamento paterno, neque à piis cauſis argumentum validum & concludens ad hanc admixtionem extraneorum in diſpoſitione ad pias cauſas, favente Jurisprudentia, deduci poteſt. ANT. FABER *Dec. 35. error. 7. n. 6.* ubi ſcribit: cum exploratiſſimum ſit, non ita ab inteſtato ſuccedere piam cauſam, quomodo ſuccedunt liberi, prorſus conſequens eſt, ut quod liberis indultum Imperatores voluerunt, nemo quantumvis audax protrahere queat, niſi valde imperitè & ridicule, ad piam cauſam, D. HARPPRECHT *cit. diſp. th. 35.* quod verò denique attinet ad alias rationes adductas, illæ magnum utique odorem æquitatis ſpirarent, modo expreſſa aliqua ſanctione ſubnixæ eſſent, & modo *Cap. 11. X. de teſtam.* de relictis eccleſiæ non unicè & ſolummodo diſponeret, ita ut æquitas cerebrina, in materia privilegiaria, omni modo evitanda ſit. Ad ſuperandas igitur omnes difficultates ſufficit, quod communis Doctorum opinio admixtionem extraneorum in diſpoſitione ad pias cauſas admittens non ſolum in praxi recepta, uti præter ſupra *in §. 3.* adductos Doctores eſtantur Dn. â BERGER *in œcon. Jur. L. 2. t. 4. §. 9. n. 4.* HEIMBURG *cit. Diſp. §. 55.* TITIUS *in Jur. privato lib. 7. cap. 10. §. 20.* ſed etiam in variis Juribus provincialibus approbata ſit. J. P. W. *part. 3. t. 6. §. imaſſen auch.* Jur. Palatin. *part. 3. t. 7. §. 2.* March. Badenſ. *part. 5. t. 7. §. fin.* ita ut pro validitate hujus ad-

 mixtio-

mixtionis extranearum personarum & causarum profanarum tutò & securè judicari queat.

§. 6.

Stabilita igitur validitate admixtionis extraneorum in dispositione ad pias causas ulterius progrediendum est ad voluntatem personarum testantium ad pias causas jure privilegiario; hæcque voluntas, ut talis dispositio mixta valeat, debet ab ipso testatore externis signis legitimè, verè & perfectè declarata, & libera esse, ac de ea etiam constare debet, per ea quæ in aliis ultimis voluntatibus tradunt D. HARPPRECHT *cit. diss. th. 6.* BARDILI *Diss. de legatis ad pias causas th. 10.* LAUTERBACH *§. 11. ad tit. qui testam. facere possunt.* Non verò hic prætereundum, quod multi Doctores imperfectam dispositionem ad pias causas ratione voluntatis validam pronuncient, cùm hæc testamenta ad simplicitatem J. N. & G. redacta sint. TIRAQUELL *de privilegio piarum causarum cap. 7.* LAYMANN *L. 2. tr. 5. c. 2. n. 6.* alii autem, ob deficiens privilegium in Jure fundatum, regulæ insistunt, illamque nullitati subjiciunt, cùm favor piarum causarum non in infinitum extendendus sit, neque in omnibus prohibitiones Juris Civilis abrogatæ credendæ, LUDWELL *de ult. volunt. pag. 349.* BARDILI *de legat. ad P. C. th. 3.* Cardinalis de LUCA *in Theatr. Just. & verit. discur. 14. n. 10. de testam.* D. HARPPRECHT *in tr. Acad. 12. de test. ratione volunt. imperfecto §. 11. 42. & 49.* alii denique ad conciliandum hunc dissensum, decisionem prudentis Judicis arbitrio committere, & omnes circumstantias examinandas esse malint. ENGEL *L. 3. tit. 26. n. 20. q. 15.* cum dispositio pia in se perfecta esse queat, neque illam omnis defectus imperfectam statim ratione voluntatis

effi-

efficiat. STRYK *C. T. cap. 12. §. 3.* JOECHER *§. 33. seqq.* HEIMBURG *cit. Disp. §. 23. seqq.* ubi varios examinant casus. Inter quos recenseri potest & ille; si testator ad pias causas testaturus & extraneas personas uno vel altero legato simul honoraturus, omnia capita quoad piam causam absolverit, & priusquam legata non piis causis relinquat, fato abripiatur; hoc sane testamentum, ob enixam ac seriam voluntatem testatoris, pro valido & absoluto quoad pias causas habendum esse multi adstruunt, si modo ea observata, quæ requiruntur ad validitatem testamenti ad pias causas. Hæc enim dispositio ad pias causas est absoluta, legata autem extraneis relinquenda non ingrediuntur substantiam, sed abesse possunt, neque utile per inutile hic vitiatur, & accessorii imperfectio & omissio principale perfectum vitiare nequit, sed in obscuro & ambigno benignior interpretatio præferenda. BACHOV. *ad tr. vol. 2. Disp. 10. th. 6. lit. J.* ENGEL *d. l.* HEIMBURG *§. 32.* & argumento eorum, quæ in hisce terminis de admixtione extranei in testamento parentum inter liberos docet. D. D. HARRPRECHT, *th. 6. cit. Disp. & tract. acad. 12. de testam. ratione volunt. imperfecto th. 49.* ubi tamen distinguit, conferatur LEYSER *spec. 351. med. 7. & 8.* quod si autem testator econtra legata quædam extraneis coram duobus testibus reliquerit, & deinde antequam piam causam instituat, vel legata pia illi relinquat, decedat, talem dispositionem tanquam imperfectam ratione voluntatis eò minus subsistere posse haud dubitamus, quod principale cadat, nihilque adsit, quod accessorium convalidare queat, hocque privilegium piæ causæ à nonnullis adsertum, multis adhuc dubiis obnoxium, hinc contra naturam privilegiorum ad legata ex-

traneo-

traneorum, quæ de jure communi quinque exigunt testes *l. fin. C. de jure codicill.* adeo facile extendi nequeat, sed potius omnia pro imperfectis & nullis habenda. Confer. D. D. HARRPRECHT *de testam. imperf. ratione volunt. th. 47.* ubi nec legatis ad pias causas privilegium concedit, si capitula nonnulla imperfecta, licet hæredis institutio extranei sit absoluta.

§. 7.

Hæc dispositio ad pias causas debet fieri ab eo, qui habet testamenti factionem activam *l. 4. qui test. facere possunt*, cum ab hac regula nuspiam reperiatur excepta dispositio ad P. C. hinc nec inhabiles ad P. C. testari valent; BARDILI *in disp. de legat. ad P. C. th. 9., seqq.* BOEHMER *in J. E. P. n. 25.* WIESTNER *n. 21. ad tit. de testam.* ubi *Cap. 4. de sepult. in Sexto* per modum exceptionis, ad dispositionem pro anima, vel cum ECKARDO *in der Erklärung ad Schilteri instit. Jur. Can. l. 2. tit. 6. §. 7. n. 12. seqq.* STRYK *C. T. c. 12. §. 2.* ad donationem mort. caus. restringunt. & quamvis multi Doctores omnes prohibitos de Jur. Civ. ad testamenti factionem ad P. C. admittant, qui jure naturali ob defectum rationis non sunt incapaces, ENGEL *n. 4 seqq. de testam.* HEIMBURG *§. 61. seqq.* KURRER *in Disp. de alienatione bonor. advent. th. 14.* BRUNNEM *ad L. 3. n. 11. C. qui testam. facere poss.* cum hæc testamenta ad P. C. ad simplicitatem J. N. & G. redacta sint, & generalitas rationis *C. 4. de sepulturis in Sexto* concurrat, quæ sententia in Ducatu quoque Würtemb. approbata est, J. P. W. *p. 3. t. 6. §. und Erstlich.* ut eò magis promoveatur honor Dei, augeatur christiana charitas, & juventur piæ causæ & pauperes. LAU-

TERBACH.

TERBACH. *in diff. J. C. & W. th. 12.* tamen ubi de admixtione extraneæ perſonæ quæritur, res conclamata videtur, quod nempe à teſtamenti factione incapaces de J. C. excludendi ſint, ideoque etiam hoc in caſu admixtionis requirant Doctores, ut teſtator abſolutam habeat poteſtatem qualitercunque teſtandi, ſive ad pias cauſas, ſive quoad perſonas extraneas & profanas cauſas. MOLINA *de J. & J. tr. 2. diſp. 134. n. 2.* STRYK *de C. T. c. 12. §. 8. & in not. §. 2. ad Brunnem. Jus Eccleſ. lib. 2. cap. 12. §. 2.* Quod ſi igitur filiusfamilias teſtamentum de peculio profectitio vel adventitio regulari, cum conſenſu patris, pro anima ſua, conderet, *cap. 4. de ſepult. in 6to.* STRYK *in uſu moder. §. 6. qui teſtam. fac. poſſ. & de C. T. c. 3. §. 38.* BOEHMER *J. E. §. 25. ad tit. de teſtam.* LAUTERBACH *§. 49. de teſtam. milit.* & ſimul profana legata intermiſceret, talis ſane admixtio, ob defectum poteſtatis, minime valeret, ſed legata non pia nulla eſſent, Dn. à WERNHER *in Diſp. de eo quod in piis cauſis impium eſt ſect. 2. num. 165. ad Vol. 1. obſ. 21. in ſupplem. nov. Vol. 7.* LUDWEL *de ult. volunt. pag. 154.* Uti quoque perſonæ extraneæ admixtæ in diſpoſitione ad P. C. ad privilegium *cap. 13. x. de teſtam.* confugere nequeant, quod tamen agnoſcunt & pro eo generaliter ſentiunt TIRAQ. *de priv. piarum cauſ. c. 8.* MOLINA *diſp. 134. in fin. & diſp. 147. n. 8.* Dn. à WERNHER *cit. diſp. ſect. 2. n 158. ſeqq.* LAYMANN *L. 3. tr. 5. c. 2. n. 7.* THOMAS. *in Differ. Jur. Civil. & Can. in doctrina de teſt. c. 1. §. 5. ſqq. & c. 2. §. fin.* ſed Jure communi contentæ eſſe debeant, cum voluntas teſtatoris ex alieno arbitrio dependere nequeat, *L. 32. de hæred. inſtituend. L. 52. de condit. & demonſtr.* FROMMANN *in Diſp. de arbitratu boni viri th. 27. ſeqq. th. 48. & 49.* neque privilegia piarum cauſarum pro lubitu ad cauſas profanas extendi queant, eoque minus, cum illud capitulum varie DDres explicent,

cent, & ad casum singularem restringant, BOEHMER *in J. E. §. 50. de testam.* ENGEL *n. 15. de testam.* D. BARDILI *in Disp. de legatis ad pias causas §. 8. seqq.*

§. 8.

In fronte hujus disputationis dixi, quod in dispositione ad pias causas hæc admixtio fieri debeat; hinc brevibus ex Autoribus, qui ex professo hoc explanarunt, dicendum, quod, si Ecclesiæ, hospitalia, monasteria, Xenodochia, nosocomia, orphanotrophia aliaque in *L. 19. C. de SS. Eccles.* recensita pia corpora, æraria pauperum, fabricæ Ecclesiæ, Academiæ, Scholæ, Gymnasia, Stipendia studiorum pro hæredibus instituuntur, & similia, quæ ad promovendum cultnm divinum & religionem Christianam, in usus pauperum, pro anima &c. disponuntur, utique hæc relicta piis causis accenseri mereantur, STRYK *C. T. cap. 12. §. 10.* BARDILI *Disp. de legat. ad pias causas §. 16. seqq.* D. BOEHMER *in J. E. P. §. 12. cum seqq. de testam.* Dn. à WERNHER *in Disp. de eo quod impium est circa legata ad pias causas sect. 1. th. 7. seqq.* ubi plures quæstiones late resolvunt. In Jure March. Badens. *p. 4. tit. 7.* & Palatino *p. 3. tit. 7.* additur publica utilitas, quam D. BOEHMER *§. 12. & 17. in E. I. P.* itidem admittit. In J. P. W. *p. 3. tit. 6.* latius quoque causæ piæ recensentur. Admiscentur autem hic profanæ seu non piæ causæ, & ita dicuntur in oppositione ad piam causam; ita ut quæcunque causa classi piarum accenseri non meretur, illa in hac materia dicitur profana, sive non pia, licet de cætero nihil impii subsit, sed optima intentione admixtio facta. Non incongrue vocabulum quoque extraneorum, à Doctoribus usurpatu r, cùm si pia causa haud instituta, eo ipso extranea, habito personæ respectu ad piam causam adsit,

ſit, ita ut omnis cauſa & perſona extranea hic audiat, quæ inter pias cauſas non numeratur. Sereniſſ. LLator Würtemb. in J. P. W. *p. 3. tit. 6. §. Hieneben & ſeqq.* utitur vocabulo non privilegiatarum perſonarum, & licet varia privilegia in Juribus conceſſa, tamen in oppoſitione ad privilegium piæ cauſæ hoc exaudiendum, ita, ut ubi ceſſat privilegium piæ cauſæ, ibi perſonæ non privilegiatæ in hac materia concurrunt, & admixtæ cenſentur. Nonnulli DDres nomen clericorum itidem adhibere ſolent, cum autem Clerici, citra reſpectum ad piam cauſam, hæredes inſtitui, ipſisque ex affectione & cognatione quid relinqui queat. BARDILI *Diſp. de legat. ad pias cauſas th. 18.* ideo non ſemper, ſi Diaconus vel Parochus hæres inſtitutus, ut hæreditatem ſibi propriam habeat, diſpoſitio ad P. C. exiſtit, neque tale legatum nomen & privilegium legati pii meretur, ac proinde coram duobus tantum teſtibus relictum non valet, CARPZOV. *p. 3. C. 4. def. 34. & dec. 150.*

§. 9.

Porro in rubro Diſſertationis ſuprema diſpoſitio ad P. C. generaliter occurrit, ita ut hæc admixtio æque in ultima voluntate ſcripta ac nuncupativa ad P. C. fieri queat, per ea, quæ paſſim DDres ſcripta reliquerunt & de teſtamento paterno inter liberos tradit D. D. HARPPRECHT *cit. Diſp. §. 38.* Et quamvis utplurimum in teſtamentis hæc admixtio fieri ſoleat & debeat, tamen codicillos ad pias cauſas haud plane excludendos eſſe, ſed in illis legata quoque admiſceri poſſe verius videtur utpote qui eaſdem ſolennitates deſiderant D. D. HARPPRECHT *Conſil. Nov. 71. n. 73. ſeqq.* Quæ ſententia in Ducatu Würt. *part. 3. tit. 6. §. Und erſtlich & §. immaſſen.* approbata, ibique codicillus expreſſe admittitur, ita ut ſi

in codicillis piarum causarum, accessorie legata nonnulla profana minoris pretii relinquuntur, illa sane pro invalidis vix habenda, per ea, quæ de testamento parentum inter liberos docet D.D. HARPRECHT *th. 38.* Cum autem hic de admixtione profanæ causæ in dispositione ad P. C. agatur & de accessione extraneorum sermo sit, statim exinde apparet, quod hæc ultima voluntas principaliter & primario in favorem piæ causæ concepta, profana autem causa incidenter, accessorie & minus principaliter admixta esse debeat, sicuti quoque in admixtione personarum extranearum in testamento parentum inter liberos docet D.D. HARPPRECHT *th. 40.* & Jus P. W. *p. 3. tit. 6. §. bieneben.* hisce verbis: *nicht fürnemlich die Arme und Privilegirte zu Erben ernennt und bedacht*, accurate determinat. Quod si vero è contra extranea persona simul hæres cum pia causa instituta, tunc talis dispositio, ob deficientes solennitates ordinarias, quoad extraneam personam, haud valet, stat enim principaliter & sic pro non facta habetur STRYK *ad Brunnem. J. E. Lib. 2. c. 12. §. 2.* STRUV. *Jurispr. Lib. 2. tit. 16. §. fin.* SCHOEPFFER *n. 39. de testam. milit.* vel si plane extraneus hæres solummodo institutus, licet legata ad pias causas in eo simul relicta, minime tamen diceretur testamentum conditum ad pias causas. COVARRUV. *cap. 11. n. 1. & 2. de testam.* MOLINA *Disp. 134. n. 1.* Quotiescunque enim dispositio ultima principaliter favorem extraneorum concernit; & inverso plane ordine non nisi in modicum commodum piæ causæ, vel dicis gratia vel in fraudem legum prætextum piæ saltem causæ in se contineat, illa sanè quoad profanam causam valere nequit, neque privilegia piarum causarum, propter accessoria legata pia, ad principale trahi, & hæredis extranei institutionem stabilire

lire

lire possunt. Confer. late D. D. HARPPRECHT *alleg. Disp.* §. 40. adeo, ut, si in tali testamento hæredis institutio extraneorum haud subsistat, nec legata ad pias quoque causas ibidem scripta subsistere queant *l. 1. C. de posth. præter. L. 14. C. de fideic.* principali enim non stante, accessoria quoque corruere debent jure stricto, LAUTERBACH *ad J. P. W. p. 3. th. 14.* Uti in testamento quoque destituto idem juris est, & legata ad pias causas simul cadunt, D. LAUTERBACH *Disp. de testam. destitut. §. 18.* D. BOEHMER *in J. E. P. §. 39. & 42. de testam.* in praxi tamen hodie talia legata ad pias causas in testamento, ubi extraneus institutus, relicta subsistere affirmant, modo solennitates piarum causarum adsint, STRUV. SCHOPFFER *d. l.* STRYK *ad* BRUNNEM. *J. E. lib. 2. c. 12. §. 2. in fin. & Respon. n. 4.* HEIMBURG *§. 54. cit. disp.* ENGEL *n. 20.* MOLINA *Disp. 134.* BARDILI *Disp. de legat ad pias causas th. 40.* Dn. a WERNHER *cit. Disp. Sect. 2. n. 163. seqq.* BOEHMER *in J. E. P. §. 23. de testam.* ubi clausulam codicillarem requirit. In Ducatu quoque Wurtembergico expresse cautum, quod legata ad pias causas præstanda sint, licet hæredis institutio extranei sit nulla, vel testamentum ob præteritionem liberorum nullum, *J. P. W. P. 3. t. 6. §. hierneben & §. deßgleichen,* ibique PLEBST *th. 70.* & LAUTERBACH *in different. th. 14. & Disp. de domicil. pauper. th. 17.* D. MAIER *ad J. de testam. milit. pag. 510.* vel hæreditas non adita, sicque testamentum destitutum sit, *J. P. W. p. 3. t. 24. §. Wann aber,* LAUTERBACH *§. 27. de injusto rupt. rupt. irrit. testam.* Hocque multis aliis in locis observatur, RICHTER *Dec. 28. n. 10. & seqq.* ubi præjudicium exhibet, MEVIUS *ad J. L. p. 2. t. 1. art. 13. n. 27.* Neque aliud dicendum de testamento parentum inter liberos, quod nimirum legata ad pias causas in eo relicta ceu valida præstanda sint, modo duo te-

ſtes adhibiti, D. D. HARPPR. *cit. Diſp. §. 25. ſeqq.* D. BARDILI *in Diſp. de legat. ad pias cauſas th. 12.* de GUEIDAN *Discours prononcés du Parlement de Provence tom. 2. Diſc. VII.* ubi varia præjudicia adducuntur, quod relicta in teſtamento paterno holographo piis cauſis abſque teſtibus annullata ſint, vel juxta aliorum opinionem, de quibus infra agendum, ſcriptura indubitata adſit, BOEHMER *in J. E. P. §. 24. de teſtam.* quæ opinio in Ducatu quoque Würtembergico recepta, ita ut legata ad pias cauſas, licet nullo teſte adhibito, in teſtamento inter liberos ſcripto relicta, ob ſummum, quem iſta merentur, favorem, valere debeant, *J. P. W. p. 3. t. 5. §. Wie auch, ibique* BESOLD *th. 45.* & in *Differ.* LAUTERBACH *th. 11.* D. D. HARPPRECHT *cit. Diſp. §. 36. n. 7.* D. BARDILI *in Diſp. de legat. ad pias cauſas th. 11. & 12.*

§. 10.

Quonam autem titulo hæc admixtio in diſpoſitione ad pias cauſas fieri queat, jam exponendum & notandum, quod hæc admixtio titulo honorabili inſtitutionis fieri neutiquam poſſit, ita ut pia cauſa ſimul cum profana æque hæres inſtituatur, cum æqualis inſtitutio naturæ admixtionis repugnaret, & ubi diſpoſitiones piarum & profanarum cauſarum æquales adſunt, ibi ceſſaret principalis & acceſſoria voluntas teſtatoris, neque ad hunc caſum forenſi uſu extenſio facta ulla, MOLINA *Diſp. 134. tr. 2.* neque, ob identitatem rationis, titulus ſubſtitutionis, quoad profanam cauſam, admittendus, cum ſubſtitutio, ceu & ipſa inſtitutio, pari ambulet paſſu, *L. 1. L 43. §. 2. de Vet. P. S.* quamvis pia cauſa piæ bene ſubſtitui queat: neque aliud dicendum de fideicommiſſo univerſali, ne per obliquum & per indirectum honoratus conſequatur, quod jure directo prohibitum, & principale vel æque

magnum

magnum emolumentum ad ſubſtitutam profanam cauſam perveniat. Quæ omnia in admixtione extraneorum in teſtamento parentum inter liberos itidem obtinent, per latius deducta à B. D.D.HARPPRECHTO *cit. Tract.* *§. 41. cum ſeqq.* Titulo è contra particulari ſive ſingulari, nimirum legati, fideicommiſſi & m. c. donationis, quod in diſpoſitione ultima ad pias cauſas extraneis perſonis & cauſis profanis quid relinqui, illæque admiſceri & conjungi queant, concedunt communiter Doctres HEIMBURG *cit. Diſp. §. 53. ſeqq.* Sicuti in J. P. W. *p. 3. t. 6.* *§. Hieneben & ſeq.* Jure Palatino *p. 3. tit. 7. §. 2.* J. March. Badenſ. *part. 5. tit. 7.* ita diſpoſitum, quod nempe legata extraneis valide, vi admixtionis, in diſpoſitione piarum cauſarum relinqui queant, uti in teſtamento parentum inter liberos.

§. 11.

Quinam vero modus in admixtione extraneorum in diſpoſitione ad pias cauſas obſervandus, & quænam ſolennitates adhibendæ, & quot teſtes neceſſarii, jam diſcutiendum reſtat, id quod eo magis controverſum eſt, quod Doctores de numero teſtium in teſtamento ad pias cauſas adhibendo itidem varient & diſſentiant. Nonnulli Doctores ſeptem vel quinque exigunt teſtes, prout ex Argelo & Julio Claro refert STRYK *in C. T. c. 12. §. 8.* quæ ſententia ſua radiat luce, juxta jus Civile, quod teſtamentum ad pias cauſas pro non privilegiato habet, & numerum ordinarium teſtium exigit, juxta *l. 13. C. de SS. Eccleſiis* & tradita *in §. 2.* ſed cum hæc controverſia ex jure Canonico decidenda, & praxis in ſubſidium ſumenda, ideo jura Civilia tantiſper hic ſeponenda, & ad jus Canonicum recurrendum. Secundum quod plurimi Docto-

Doctores hanc generalem formant regulam, quod eædem solennitates, quæ ad dispositionem ad pias causas sufficiunt, etiam ad sustinendam admixtionem profanæ causæ in dispositione ad pias causas sufficiant, illamque convalident, cum profanæ causæ & extranei saltem admisceantur, hæque admixtiones ceu accessoriæ esse suum & robur à principali dispositione ad pias causas accipiant, & de illarum solennitatibus participent; cum accessorium sequatur naturam principalis *l. 78. de R. J. l. 43. de solut. c. 42. de R. J. in sexto.* ita ut omnes rationes pro subsistentia dispositionis ad pias causas ad hanc admixtionem trahere, vimque earum huc porrigere Doctores haud dubitent. BRUNNEMANN *in J. E. L. 2. c. 12. §. 2.* ENGEL *n. 19.* LAYMANN *in Theolog. moral. L. 3. t. 5. c. 2. n. 3.* MOLINA *tr. 2. disp. 134.* Cardinal de LUCA *d. l.* cum autem Doctores in eo quidem conspirent, quod in ultima voluntate ad pias causas nuncupativa duo vel tres testes sufficiant juxta *c. 11. X. de testam.* circa testamentum autem ad pias causas scriptum magna controversia agitetur, an nimirum sola scriptura certa & indubitata defuncti testatoris, vel sola hæredum relictorum confessio absque testibus valeat, ita ut hæc probatio per scripturam vel confessionem, ad probandam hanc ultimam voluntatem, ad pias causas æque sufficiens sit, ac testimonium duorum testium in nuncupativa; ita ut, salvis legatis extraneis relictis, testes abesse queant? Neque minoribus difficultatibus inde dependens quæstio prematur, an illa, quæ de ultima voluntate scripta ad pias causas interpretes docent, ad admixtionem hanc extraneorum in dispositione ad P. C. tuto extendi queant, ita ut hæc adjectio extraneorum in scriptis facta ad suam validitatem duos vel tres requirat testes? an verò sola scriptura certa & indu-

indubitata, confessio hæredum, vel alia in jure recepta probatio itidem admittenda sit? Ideo brevibus recensenda sunt argumenta potiora, quibus hanc quæstionem optimæ Notæ Doctores & magni Juris Consulti negare haud dubitant, & licet de indubitata mente testatoris aliunde constet, & scriptura evidens testatoris adsit, nihilominùs duos vel tres adhuc exigunt testes, cùm *c. 11. x. de testam.* generaliter duos vel très testes exigat, neque distinguat inter testamentum nuncupativum & scriptum, ita ut capitulo non distinguente illud generaliter sit exaudiendum. arg. *L. 8. de public. in rem actione.* & cùm jus canonicum nullibi disponat, quod sola testatoris manus, quoad dispositionem ad pias causas, valere debeat, neque alios modos probandi exprimat & admittat, eo minus hoc concedendum, quod *c. 11. x. de testam.* sit lex correctoria juris Civilis, ita ut in dubio nulla extensio & nulla differentia inter hæc duo jura statuenda, sed talis lex correctoria, omnes testamentarias ferè solennitates evertens, strictissimè potius sit interpretanda, prout hanc sententiam, quod nempè in testamento ad pias causas scripto, duo testes necessarii sint, ex pluribus rationibus latè defendunt: Bb. Dn. Antecessores MAURITIUS *Cons. 4. n. 15. seqq.* D. HARPPECHT *Cons. 3. per totum & in tr. acad. 11. th. 30. cùm seqq. & th. 64.* ubi *th. 32.* plures authores adducuntur, & de communi sententia & praxi testatur. D. D. GRASS *in Disp. de legat. ad pias causas invaliditate ex defectu duorum testium, per totum*, quibus addi possun THOMASIUS *in not. ad Strauchii diss. exerc. 9. th. 31.* TITIUS *in Jur. Priv. L. 7. c. 10. §. 20.* MENCKEN *§. 16. ad tit. de testam. milit.* ubi binis vicibus pronunciatum ita esse refert JOH. VOETIUS *n. 19. qui testam. fac. possunt.* BARDILI *in Disp. de legat. ad pias causas §. 11.* D. MAJER *ad Inst. de*

 testam.

testam. mi lit. pag. 510. HUBER *n. 5. de testam. milit.* Dn. GOTTLOB. AUG. JENICHEN *Conjectur. de testamenti ad pias causas origine §. 13. & 14.* ubi plures allegat Doctores & hanc opinionem latè constabilit. Quod si autem ne dispositio quidem scripta ad pias causas valet absque testibus, multò magis idem judicium de admixtione extraneorum ibidem facta ferendum, & duo vel tres testes exigendi: cum argumentum hoc à majori desumtum absque dubio validum sit. EBERHARD *in loc. argum. loc. 15. & 16.* ita ut omnes rationes contra dispositionem scriptam ad pias causas pugnantes, & præsentiam duorum testium exigentes rectè, & cum majori fructu contra admixtionem extraneorum in ultima voluntate ad pias causas allegari queant, quibus porro pro suffulcienda hoc sententia addi potest, quod *c. 11. x. de testam.* plane nihil disponat de extraneis personis, sed unicè de ultima voluntate ad pias causas agat: ita ut favor piarum causarum ad profanam causam & extraneos, ob naturam privilegiorum, minime extendi queat: cumprimis, cùm *c. 10. x. de testam.* in testamento ad profanas causas parochum & duos vel tres necessarios dicat testes, & conceptum sit de testamento scripto nam ab initio mentionem injicit subscriptionis septem vel quinque testium, jus civile autem ordinarium planè numerum testium requirat. Et cùm porro in testamento parentum, inter liberos scripto, quoad admixtionem extraneorum, testes exigantur *in Nov. 107. auth. quod sine C. de testam.* & si tempore pestis condatur testamentum scriptum, itidem testium subscriptio necessaria, prout deduxit D. D. HARPPRECHT *sæpius alleg. Disp. th. 29. & 31.* proinde etiam Doctores communiter de hac admixtione extraneorum in dispositione ad pias causas scribentes, non solum indistinctè duos requirunt testes, LAUTER-

BACH-

BACH *in colleg. theor. pract.* §. *51. de testam. milit.* SCHILTER *Exerc. 38.* §. *121.* STRYK. *C. T. c. 12.* §. *8. 9.* LUDWELL *de ultimis voluntat. p. 353.* PANTSCHMANN *L. 2. q. 6. n. 18. seqq.* TITIUS *in Jure privato lib 7. cap. 10* §. *20.* HEIMBURG *dicta disp.* §. *55.* BERGER *in Oeconomia Juris L. 2. tit. 4.* §. *9. not. 4.* sed etiam solam scripturam testium subscriptione haud firmatam rejiciunt, & statuunt, quod talia legata profana admixta in dispositione ad pias causas absque testibus scripta corruant. HARTM. PISTOR. *l. 2. q. 2. n. 4.* FACHIN. *l. 4. c. 3. n. fin.* BESOLD. *cons 94. n. 14. seqq.* PANTSCHMANN *l. 2. q. 8.* D. HEIMBURG §. *53. seqq.* D. JOECHER §. *22.*

§. 12.

Alii econtra Doctores indubitatam & claram testatoris voluntatem ad pias causas, sive ab ipso testatore scriptam, sive saltem subscriptam, HEIMBURG §. *21. & 45. seqq.* STRYK *C. T. c. 17.* §. *3.* absque interventu testium declaratam sufficientissimam & validissimam reputant; cum testamenta ad pias causas ad simplicitatem Juris N. & G. redacta sint: ita ut omnis probatio in jure naturæ fundata admittenda sit. HEIMBURG. §. *16.* cumprimis cum indubitata scriptura majorem ferè certitudinem in se habeat, & nullibi alii modi probandi rejecti: Hincque militis & patris Testamentum scriptum absque testibus valeat. LAUTERB. §. *16. & 32. de testam. milit.* neque Lex. *fin. Cod. de fideicom.* incognita sit: & cum pontifex hæc testamenta piarum causarum non secundum leges positivas civiles, sed jus divinum tractanda velit, ita ut in ore duorum vel trium testium omne consistat verum; ac insuper ad decretorum statuta provocet, quæ præsentiam testium haud exigunt, sed scripturam admit-

 tunt,

tunt, juxta allegata D. JOECHER §. *11.* HEIMBURG. *§. 14. c. l.* & contrariam consuetudinem septem vel quinque testes exigentem rejiciat; ideo eò magis talis scriptura certa testibus destituta admittenda, quod generaliter testes non solennitatis, sed probationis gratia necessarios dicant, ita ut una probatio in locum alterius, haud invita jurisprudentia, substitui queat, eoque magis, quod testamentis ad pias causas semper favendum sit: *L. 28. C. de SS. Eccles.* neque scriptura ad pias causas, ob defectum testium, ullibi nulla pronunciata: quam sententiam in terminis tuentur plures Doctores allegati à D. D. HARPPR. *th. 27.* ubi sicut in præcedentibus *§. 25. & 26.* omnes rationes ordine recensentur; quibus addi possunt LAYMANN *L. 3. tr. 5. c. 2. n. 3. seqq.* MüLLER *ad Struv. Exerc. 32. th. 19.* STRYK *ad Brunnem. I. E. L. 2. c. 12. §. 2. in not. C. T. c. 12. & de testam. rustico c. 1. n 22.* TIRAQUELL *de priv. piar. caus. priv. 1. 2.* COVARRUV. *ad c. 11. de testam.* ENGEL *n. 18. c. l.* Cardinalis de LUCA *Disc. 14. de testam.* Dn. à BERGER *in Oeconom. jur. L. 2. tit. 4. th. 9. n. 3. & Resp. 301. p. 224.* HORN *cl. 1. Resp. 27. & cl. 7. Resp. 24. p. 394.* Dn. à LYNCKER *Resp. 84.* Dn. à WERNHER *p. 6. vol. 3. obs. 255. & in supplem. nov. ad part. 1. obs. 121.* D. BOEHMER *in E. E. P. L. 3. tit 26. §. 18.* D. JOECHER *§. 9. seqq.* ubi *§. 16.* testatur, quod Facultates Francof. ad Oderam, Erford. Jen. Witteberg. & Hallensis ita responderint: & in appendice *ad §. 16.* sex præjudicia exhibet, HEIMBURG *§. 11. cum seqq.* ENGAU *in Elementis Juris Can. L. 2. tit. 36. §. 537.* FLOERCK *ad Schilteri Instit. L. 2. t. 6. §. 7.* ECKARD *ad Schilteri instit. L 2. t. 6. §. 6. n. 22. seqq.* Et quamvis hi Doctores de testamentis ad pias causas, sicuti *c. 11. x. de testam.* loquantur, ita ut, ob diversitatem rationis notoriam, ad admixtos extraneos, contra natu-

ram privilegiorum, extenſio omnis exulet, tamen plurimi exinde, quod principale ad ſe trahat acceſſorium, vi unionis & conjunctionis, idem in admixtione profanæ cauſæ in diſpoſitione ad pias cauſas admittère, talemque adjunctionem ſcriptam absque teſtibus validam adſtruere haud dubitant Doctores ſupra allegati in *§. 11.*

§. 13.

Hiſce omnibus probe conſideratis, præmittendum, quod ſupra in §. 2. ſatis evictum ſit, quod admixtio extraneorum in diſpoſitione ad P. C. neque de Jure Civili, neque de Juris Canonici veritate privilegio gaudeat, ſed Jura communia obſervanda ſint, ſi talis admixtio in judicio pro valida judicari debeat; ita ut rationes ſupra allatæ ſufficienter demonſtrent, quod à teſtamentis ad pias cauſas fundatis in *c. 11. x. de teſtam.* quocunque modo tandem valeant, ad admixtionem profanarum cauſarum, ob notoriam diverſitatis rationem, & deficientem legis expreſſam diſpoſitionem, nulla valeat illatio, & natura privilegiorum omnem reſpuat extenſionem: adeoque fruſtraneum & ſupervacuum ſit, de juris Civilis & Canonici veritate quærere, an duo teſtes ſufficiant vel ſola ſcriptura, aliaque probatio idonea, legata extraneis ibidem relicta convalident? neque rationes plauſibiles, quæ multum quidem æquitatis, ſed nihil ſanctionis legislatoriæ in ſe continent, contra leges ordinarium numerum teſtium exigentes, validitatem legatorum extraneis relictorum inducere valent; prout Dn. HEIMBURH & JOECHER *in alleg. Diſp.* hanc diſparitatis rationem optime agnoſcunt. Recurrendum igitur hoc paſſu denuo eſt ad communem Doctorum opinionem in praxi receptam, qui admixtionem cauſæ profanæ in diſpoſitione ad pias cauſas, in caſu, ſi coram duobus teſtibus hæc relictio fiat, absque dubio

admittunt, & eatenus omnes conſpirant Doctores paſſim allegati; ſed an etiam ſola ſcriptura & ſcheda teſtamentaria extranei admixtionem in ſe continens, absque interventu duorum teſtium confecta valida pronuntianda ſit, ſubſiſtimus quam maximè, & cùm diſpoſitio ſcripta, & ſola ſcriptura, quoad teſtamentum ad pias cauſas, à multis Doctoribus rejicitur, hæcque ſententia de jure verior habeatur, ac præjudiciis ſuffulciatur, longè citiùs, quoad admixtionem extraneorum in diſpoſitione ad P. C. ſcriptura ſola teſtatoris rejicienda, & duo vel tres teſtes ad validitatem legatorum extraneis relictorum de neceſſitate exigendi ſunt, cumprimis cùm præjudicia, legata extranea in ſola ſcriptura relicta convalidantia, haud adeo obvia ſint, neque certa praxis hac in re probata, & jura quoque provincialia varient, ita ut tutius præſentia duorum teſtium exigenda, ſicque à juribus non nimis remotè recedendum.

§. 14.

Aliud tamen *in Jure prov. W. p. 3. t. 6. §. und Erſtlich.* ſingulariter ſancitum, quod nempe non ſolum legata ad pias cauſas, licet nullo adhibito teſte, relicta ob ſummum, quem illæ merentur favorem, valere debeant BESOLD. *p. 3. J. P. W. th. 45.* LAUTERBACH *in diff. 11.* HARPPRECHT *th. 35. cit. Diſp.* BARDILI *in Diſp. de legat. ad P. C. §. 11.* ſed etiam hæc admixtio extraneorum coram duobus teſtibus vel in ſcriptura privata facta pro valida reputanda ſit. J. P. W. *p. 3. t. 6. §. immaſſen auch, da in einer ſolchen vor 2. Zeugen, oder einer privat Schrifft ad P. C. beſchehenen Verordnung und inſtitution andern nicht privilegirten Perſohnen legata vermacht wären, ſelbige ebenmäſſig denen Legatariis ohnweigerlich verfolgt werden ſoll.* In Jure autem March. Badenſ. *p. 5. t. 7. §. 1.* econtra requiruntur indiſtinctè duo teſtes cum actuario ad diſpoſitionem

tionem ad pias causas. Dn. D. HARPPRECHT *in differ. J. M. B. p. 4. th. 13.* & subsequente *§. 2.* simpliciter hæc ordinatio ad legata extraneis in illa relicta extenditur. Uti quoque in jure Palatino *p. 3. t. 7. §. 1.* duo testes ad validitatem testamenti ad P. C. admittuntur, & in *§. 2.* iisdem verbis, quæ in jure Narch. Bad. occurrunt simpliciter extensio fit ad admixtionem profanæ causæ in testamento ad pias causas, uti verba adducit D. HEIMBURG *in cit. disp. §. 29. & 54.* & hunc textum ad admixtionem nuncupativam restringere conatur, & secundum suam hypothesin scriptam ultimam voluntatem sine testibus validam esse habendam contendit: Neque differentia facienda, sive masculi sive fœminæ adhibeantur, sive nogati sint testes, nec ne, juxta J. P. W. *p. 3. t. 6. §. und erstlich* I. M. Badens. *p. 5. t. 7,* §. *1.* & communia jura: LAUTERB. §. *50. de testam. milit.* MOLINA *de J. & J. tr. 2. Disp. 134. n. 4.* STRYK *C. T. c. 12. §. 6.* BERGER *in Disp. de testam. mulier.* §. *34.* JOECHER *in cit. Disp. §. 18.* Dn. a LYNCKER *Resp. 84. n. 8. & 9.* cum in ultimis voluntatibus minus solennibus & codicillis fœminæ haud repellantur: LAUTERBACH. *§. 7. de codicillis* uti in testamento paterno HARPPRECHT *§. 59. c. l.* ubi tamen *§. 58.* requirit ut uno eodemque tempore congregati esse debeant, id quod in nostra admixtione extraneorum in dispositione ad pias causas, ob deficiens privilegium, securè itidem asserimus. RICHTER *decis. 28. n. 31.* neque prætereundum est, quod dispositio ad p. c. cum admixtione absque testibus apud acta fieri queat CARPZ. *p. 3. c. 4. def. 32.* & si cæcus vel qui litteras legere & scribere nesciat, talem dispositionem ad p. c. condere velit, plures cautelæ necessariæ adhibendæ sunt. HEIMBURG *§. 24. & 25.* STRYK *C. T. c. 8. §. 9.* addatur D. HARPPRECHT *cit. disp. §. 53.*

§. 16.

§. 15.

Effectus hujus admixtionis causæ profanæ in dispositione ad p. c. sunt omnes illi, qui ex aliis ultimis voluntatibus, in quibus legata & fideicommissa particularia relicta, fluere, & Doctores ad titulos de legatis & fideicommissis adducere solent. Confer. D. HARPPRECHT *th. 40. & 62. cit. disp.*

§. 16.

Quod si autem forma præscripta, & usu forensi recepta omissa, tunc utique extraneis relicta legata & fideicommissa particularia sunt ipso jure nulla; & piæ causæ valide & cum debitis solennitatibus pro hærede institutæ accrescunt, ita ut pia causa totam hæreditatem accipiat, per tradita PANTSCHMANNI *lib. 2. q. 8. n. 23. seqq.* MOLINÆ *n. 2.* LAYMANNI *n. 10.* Cardinal de LUCA *dicto loco* quamvis alii hæredibus ab intestato hæc legata extraneis nulliter rrlicta attribuere, illudque principium, quod quis bene in testamento pio pro parte intestatus decedere queat, applicare velint. REUSNER *de testam. p. 4. c. 12. n. 14.* STRYK *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 12. §. 2.* & *in C. T. c. 12. §. 8.* HEIMBURG *§. 19. d. l.* TITIUS *In J. priv. lib. 7. c. 10. §. 24.* neque sane nullitas in uno vel altero articulo commissa, statim totius testamenti nullitatem post se trahit, nec utile per inutile vitiatur: sicuti in testamento paterno juris est, ubi extraneis relicta saltem infirmantur *in Nov. 107. c. 1.* & *arg. Nov. 115. c. 3. & 4.* Dn. D. HARPPRECHT *Cons. nov. 42. n. 20. seqq.* D. BOEHMER *thom. 2. p. 1. Resp. privat. 106. n. 45. Resp. 251. n. 16.* & *p. 2. Resp. 79. n. 33.* denique hæc legata extraneis relicta sicuti ultimæ voluntates ad p. c per posterius testamentum, aliamque legitimam revocationem, rasuram, deletionem, aliosque modos adprobatos in jure, bene mutari, revocari, & annullari possunt; quæ contraria testamentorum ad pias causas latius resolvit HEIMBURG *§. 70.* usque ad finem *dict. disp.* & si nullitas in principali testamento ad p. c. commissa est, recte ad accessoria legata & fideicommissa extraneis itidem relicta trahi potest: ob regulam notissimam, quod principali corruente, corruat quoque accessorium *C. 42. de R. J. in sexto.* ita ut tunc hæreditates & legata hæredibus ab intestato absque dubio accrescant.

TANTUM!